

Marcelli suffragantem opinioni, funeris causam ab ipsa monumenti exstruione longè diversam judicantis, nec ita monumenti adificationem necessariam esse, ut sit funus ac sepultura. Hęc verba, prout jacent, de monumento quidem loquuntur, quin tamen ad sepulchrum etiam applicari possint, nil video, quod obstat: præprimis cum *Urianus* in l. 14. §. 3. π. de *Religios.* & sumt. fun. eandem ferè de Sepulchro habeat decisionem. Sepulchri itaq; nomine ipse locus, in quo demortui hominis cadaver reconditur, intelligitur, Sepultura autem ipsas exequias seu funus & solennitates in efferendo mortuo more cuiuslibet civitatis receptas denotat. Ego depositâ pro ratione temporis & aliis reliqtâ posteriori sepulturæ materiali sepulchri privilegia ac jura latiori digna judicavi pensatione. Ad eam verò anteqvam progrediar, absolvenda ipsius sepulchri nominalis, nec realis deinceps, quamvis paucissimis intacta relinqvenda definitio.

V. Non paucis reperio insignitum nominibus sepulchrum; Illa saltem h̄c annotâsse sufficiat, quibus ipsi usi sunt. JCti. Non raro in jure nostro occurrit vox *Monumentum*, quo tanquam generali nomine ipsum etiam comprehendi solet sepulchrum, teste *Florentino* in l. 42. π. de *Relig.* & sumt. fun. In cujus causam & originem h̄c inquirere placet. Etsi verò non diffitear, id quod ab *Hadriano* in l. 37. §. 1. π. d. t. positum est, regrediendum penitus non esse, dum monumentum à muniendo deducere videtur, quod causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus reconditum est; Non tamen dissimulare possum, me sententia *Varronis* l. 5. de *lat. ling.* à monendo derivantis facilius subscripturum esse. Cum eam ipsi Eloquentiæ Principi Tullio in Epistolis haud displicuisse sciam. Sed ego, inquit, quæ monumenti ratio sit nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad presentis temporis gratiam. Paulò accuratiōri etenim mente h̄ec reputanti in apri-  
co videre est, hanc deductionem ipsi non modò vocabulo magis convenientem esse, sed ipsam quoq; nomini rem sic optimè respondere. Si qvidem monumenta propterea existimārim inventa, hodieq; usu servata, ut vitam, quam defun-  
ctus